

aliorumque desiderio satisfieri procul dubio, per collem ejusdem & paulò etiam majoris altitudinis in oppositam vallem aquas derivando: 2. Per siphonem autem qui altus sit 34. pedd. Rhinl. aut amplius, idem fluxus succedere nullo modo queat, Portæque adeò & asseclarum ejus expectationem frustraturus necessariò sit; siquidem in hoc etiam casu tantillum saltem cœpisset ille fluxus, si esset possibilis, donec ab aère intercepto fuisset cohibitus, prout in altero illo priore contigerat.

XIII. Causas autem tum horum, tum superiorum aliorum Phænomenorum ex jactis dudum fundamentis facile suppeditabant Conclusiones sequentes:

Causa 1.
Phæn.

CONCLUSIO I. Aquam ex tubo grandi non solum ad altitudinem solitam delapsam, sed penitus ad imum epistomium depressam esse ab aère alicubi subrepente, manifestum est ex dudum dictis, & ex effectu contrario, h. e. lapsus illius cessatione, postquam viæ omnes aèri subrepenti erant præclusæ. Necessum autem erat aëris illius obreptitii elaterium aquæ ponderi proprio junctum plus valere quàm externi aëris elaterium solitarium, & sic aquam delabi.

Causa 2.
Phæn.

CONCLUSIO II. Ex adverso in sequenti casu externi aëris elaterem saluum ac integrum superare multum oportuit elaterium in tubo & exhausto recipiente valdè debilitatum unà cum aquæ levandæ pondere; ita ut, qui alioqui aquam sub altitudine 30. pedd. & amplius valet sustentare, nunc facile suffecerit eidem allevandæ saltem ad altitudinem 25. circiter pedd. Equidem si recipiens fuisset ab omni aère vacuum, & tubus F A similiter exhaustus penitus antè quàm epistomium A, sub aquas demersum, reclusum fuisset, aperto dein hoc epistomio, externus aër vi sui elateris aquam in loca illa vacua atque adeò in ipsam recipientis cavitatem fuisset expressurus, etiamsi altitudo F A trigesimum pedem attigisset. Nunc autem, quando nec recipiens evacuatum